

47
4565

Quod Infinitus Astrorum Conditor secundet!

CONJUNCTIO-

NES IN GENERE,

Dissertatione Astronomico - Theorica

In Alma ad Albit Academia

P RÆ S I D E

Viro Nobilissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DOMINO

MICHAEL VVALTHERO,

Superiorum Mathem. Prof. Publ. Famigeratissimo,

Alumnorum Electoralium Ephoro Gravissimo, Patrono, Promotore ac Præceptore suo iugi cultu & obsequio
proseguendo,

Publicæ placideq; Ορανοτωγιαν συζητησι
exponitq;

RESPONDENS

M. JOHANNES PASCHIUS

Raceburg. Saxo.

Ad Diem 21. Mart. Anno M. DC. LXXXIII.

WITTENBERGÆ
Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.

Astron.

558,40

v.



Προσάντλιον.

Quod si unquam μωρόσοφος ille Diogenes facetè desipuit,
oppidò in hoc turpem se dedit, quod Stobæus recenset: *Astrologum quendam in foro stellas in tabella quadam depictas demonstrasse ac dixisse: En tibi hic stellas errantes?* Audiens hoc Diogenes: *Ne mentiaris, inquit, bone vir: Stellæ enim non errant, sed illi, i ostensis qui adsidebant, tempusq; in refutili terebant.* Futile sanè & Cynicum Cynici Philosophi judicium, si hujus Astrologi opera merè theorica tantum atque sphærica mansit, cui illuserit? Sanctissimis enim Viris à primo orbis conditu usque nil antiquius suaviusque evenit, quām cœlum tueri, & ad sidera vultum tollere. Tacebo *Adamum*, qui primus hanc artem cum astris pene ortam, sibique divinitus concessam in actum & experimentum deduxit. *Sethum* præteribo, qui Josepho afferente transmissam jam inde ab Adamo hanc artem, ne orbis universi cataclysmo aut οὐπυρώσει periret, redactam in epitomen geminis columnis insculpsit: uni *lateritia* contra vim ignis; alteri *lapidea* contra eluviones aquarum. Suidas & cum eo quoque Alstedius affirmant Sethum *divini nomen* adeptum esse, quod astra propriis nominibus distinxisset, & nomina VII. Planetis imposuisset. Nec *Abrahamum* producam, aut ejus ex Isaaco Filio Atnepotem *Jobum*, cuius ætate in certas classes digesta sidera fuere, pro refellendo mastigis hujus diafyrmo. Sanctissimus vates *David* suis in carminibus toties siderum, Solisque & Lunæ meminit, ut inter pastoritos Regiosque labores hanc etiam eurarum præcipuam partem habuisse appareat, eoque de Illo non minùs, quam de Julio Cæsare apud *Lucanum* scribi potuerit:

*Media inter prælia semper
Stellarum coelique plagiis superisque vacavi.*

▲ Sapientiss. Salomone esse concinnatas tabulas & calendaria motuum & neomeniarum cœlestium, quib⁹ hodieñ utuntur Ebræi, memo-

▲ 2

rat

Lib. I. An-
tiq. 3d.
c. 3. § 8.

Chronol.
XLIII. p.
m. 302.

Lib. 10.
Pharsal.
v. 185. seqq

rat ex Medio' anensi assertione Paulus Minerva apud Doctissimum Riberam. Et quanquam *Tabulae Mosaicae* & *parapegmata noviluniorum à Mose confecta*, quingentis non minus annis antiquiora sunt *Salomonicas*, revisas tamen emendatasque à Salomone eas *Tabulas*, ac deinceps in usu fuisse fortè deduci potest ex illis verbis 2. Paralip. c. 35, 4. Sicut præcepit David Rex Israel, & descripsit Salomon Filius ejus. Quod ad descriptionem Sacerdotalium Ministeriorum sacrificiorumque & cantionum, quæ primo, quæ ultimo Mensis die adhicerentur pertinere videtur. Huc etiam spectat collegii seu Academiæ Hierosolymitanæ structura nixa columnis VII. numero videlicet planetario, & ad exemplum Ægyptiæ seu

Lib. VI. Heliopolitanæ, quo de videatur Clemens Alexandrinus. Et quis Scientiæ hujus antiquum & sacrum usum pertexere satagit? Aliorum etiam elogia, quæ scientiæ hujus erraticæ certissimum usum & encomium decantarunt, instituti adstricti ergo reticeo. Si quis adhuc cum Diogene aliisque sui sibique simillimis fecerit, & Benevolo Lectori Censorique aurem vellerit, ne tabellam hanc erraticis stellis depictam alpicere dignarentur, quia scilicet stellæ non errarent, sed pictor, Lector & Arbitr̄ vanum & vagum molirentur opus; eum exoratum voluisse, ut vel die 24. Octobr. elapsi anni (secund. Tabb. Rudolph.) vel die 19. Jan. præsentis anni mecum prospexit, vel his prætermisis die 18. Maj. currentis Anni unico adhuc superstite (quo etiam omisso per ætatem in hoc signo non videbit) prodiret sub dium nocturnum, ut cœlo obiectivè præcinctente succineremus gloriam Dei, quam celebrari inter cætera voluit ex mirando illo *Conjunctionum* ordine, quas intra VII. Menses nobis tribus vicibus observandas proponit. Occasione itaque sic ferente operi huic manum meam admovi, quæ licet harum intricatissimarum rerum inexperta sit, in magnis tamen voluisse sat erit. Cumque pro intelligenda *Magna hac Conjunctione Saturni Joviali* utile sit, in antecessum agere de *Conjunctionibus in genere*, his manum mentemque applicabo protinus. Tu Summe Deus, qui astra condidisti, eaque vi potentiae regis, ut sint & maneant signa temporum & gloriæ tuæ, fac, ut ego admirator horum devotissimus verum de his sentiam, scribam atque defendam.

§. I.

Ω
+*ΗΩΥ*

§. 1. Theoricæ Astronomiæ, quæ secundum propriumque singulorum siderum ab occasu ortum versus super Eclypticæ axe polisq; motum docet, non infima pars est, quæ *Passiones Planetarum*, tanquam insignia motus istius accidentia, affectionesque tradit, quæ potissimum & pleræque in solis Planetis, dum latitudinum, longitudinum & altitudinum suarum spatia decurrunt, qualicunque observatione animadverti possunt.

§. 2. Harum vulgo Passionum IV. constituunt genera, prout scilicet oriuntur vel ab eccentricitate planetariæ orbitæ, vel ex collatione Planetarum ad Solem, vel ex relatione eorundem ad terram, vel ex comparatione situum ad se invicem. Genus quodlibet varias iterum apud Autores docendi causâ sortitur species. Quas percensere & explicare singulas, non est hujus instituti, quando de Conjunctionibus nonnulla afferre decrevimus.

Vid. Hein-
lin. Sy-
nops. Ma-

§. 3. Ac pertinere quidem Conjunctiones ad quartum memoratorum generum, perspicuum est, sub quo Συζυγία & Σχηματισμοὶ comprehenduntur.

them. part
II. lib. II.
c. II. p. m.
365. seqq.

§. 4. Quam distinctionem licet non omnes agnoscant admittantque, *Ptolomeus* tamen, Astronomorum facile Princeps, ipse dedit, & comprobavit, cuius vestigia, nos meritò legimus, & *Syzygiam* non subordinamus *Asperitibus*, sed contradistinguimus: non nescii, quod laudatissimus Autor quandoque Συζυγίας & Σχηματισμῶν vocula ut ἴσοδυραιγία & synonyma, sensu verò Astrologico, adhibuerit. Qua ratione apud non paucos quinquenarium Aspectuum numerum nunc *Arithmetica*, nunc *Geometrica*, nunc *Musica* ratione probatum reperias. Nos verò cum *Astronomico-Theoricam* tractationem suscepimus,

Kepl. Tri-
gon. Ign. c.
IX.

rimus, Astronomico etiam sensu tantum hanc vocem capimus, solos positus stellarum consideraturi, non habitratione illorum effectorum, quæ ab Astrologis tali Aspectuum habitudini tribuuntur. Dicimus itaque Συζυγιαν & Σχηματισμὸν nec nomine nec re coincidere. Utrumq; enim prohibet partim ipsius Aspectus definitio, cuius formalis differentia consistit in radiorum obliquitate, partim totius rei fundamentum, quod est diversus stellarum positus, qui nunc rectus est, unde Syzygia, nunc collateralis, unde Aspectus enascuntur, Sextilis, Quadratus atque Triangularis.

§. 5. Quanquam autem Syzygia vi etymi tantum Conjunctionem dicere videatur, factum tamen est, ut ex usu Astronomico & ampliationis suppositione latius extenderetur, à Conjunctione & Oppositione stellarum ita præscindens, ut ad utramque simul contrahi possit, & valeat tam de respectu & rectitudine radiorum ex eodem, quam per diametrum ex oppositis locis. Hinc Syzygia in Conjunctionem & Oppositionem dividitur.

Officiorū lib. I. §. 6. Cùm verò nunc de Oppositione non attineat dicere, placet ante, quām disquirendo procedamus, definire, quid sit Conjunctionio. Omnis enim quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione profici, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur, ut recte monet & quasi adjuvat Cicero. Itaque Conjunctionio in se spectata est Syzygiaduarum vel plurium stellarum in uno eodemque cœli loco concurrentium. Subjectum Conjunctionis primariò stellæ sunt; secundariò verò & per posterius etiam nodis lunaris orbitæ ascendentí & descendenti, sive capiti & caudæ Draconis, ad stellas relatis, Conjunctionio ab Astrologis tribuitur. Stellas autem præcipue

er-

erraticas intelligo, non exclusis Cometis. Fixas autem inter se conjungi minimè dicimus, quoniam Conjunctio earum propriè stellarum est, quarum aliis atque aliis positus per naturam esse poterat. *Formalis ratio* Conjunctionis est congressus in eodem cœli loco. Congressus verò non intelligendus est physicus aut suppositalis, quasi vel orbe suum Planeta egrederetur, aut alter horum ascenderet, alter descenderet, & sic contactu corporo coniungerentur. Sed concursus Planetarii locus concipiendus est in suprema cœli superficie atque Zodiaco, qui designatur à linea recta, ceu radio visorio, è superficie vel centro terræ per stellæ, vel epicycli centrum eosque continuata, ubi demum propter visus nostri imbecillitatem & loci conjunctorum immensam distantiam, corpora, physicè à se remotissima, nobis quasi contigua, & à latere sibi stare apparent. Hic locus vulgo *opticus* vocari solet, magis adæquatè verò *Astronomicus* dici possit. Neque unus idemque cœli locus unum idemque statim punctum Conjunctionis involvit, sed παχυλως & ambitu quodam laxiori hoc accipi debet.

§ .7. Præmissa hac, ut vires tenuis judicii admittabant, non ut rei gravitas præscribebat, definitione progredimur paucissimis ad Conjunctionem divisiones, quarum dignitas & usus non minor est, quam definitionis. Si enim *Socrates* se ejus vestigia quasi Numinis secuturum ait, qui singula convenienter distribuerat; & *Plato* optimum docendi genus existimabat bene distinguere; necesse erit, ut de hac quædam afferamus. *Prima esto*, quæ ad αὐγήσια pertinet, & docet definitos supra congressus non uno modo, sed ita fieri, ut vel in uno cœli punto stellæ concurrant, vel in diversis existant. Quæ copulantur

in

in uno cœli punto vicissim vel longitudine simul & latitudine convenient; quæ *Conjunctio* συναγόν; b.e. *corporalis* & *partilis composita* appellatur; vel in eodem semicirculo latitudinum consistunt, ita ut longitudo quidē sit eadem, latitudo autem diversa, qualis *Conjunctio partilis simplex* nuncupatur. Quæ verò etiam longitudine distant, sed tamen intra medietatem, amplitudinem sive lucem orbis alterius existunt, earum *Conjunctio platica* dicitur. Per illam verò medietatem orbis cave, ne cum nonnullis perperam intelligas arcus visionis stellarum vel semidiamaetros lucidorum corporum: cum sint illa Zodiaci spatia, ad quæ vires suas extendere stellæ possunt secundum Astrologorum placita, à quibus ut vocis significatio proficitur, ita etiam lux orbium in hunc modum determinatur ḥ⁹, ζ¹⁰, σ⁸, ⊖ & ☽¹⁵, ♀⁸, ♀⁷. Hæc platica *Conjunctio* subdividi assolet in *Applicationem*, cum stella velocior intra lucem alterius stellæ existens ad tardiorē accedit; & *Separationem*, cum stella eadem ab altera intra orbis amplitudinem recedit.

§. 8. Huic subjungimus divisionem *Conjunctio-*
nis in Medium, Veram & Apparentem. Quæ desumpta
esse videtur ex diversitate & origine motus *veri*, *medii*
ac *visi*, quorum *ille* est, quo sidera in ipso cœlo plerumque
inæqualiter moveri nobis in terra degentibus appa-
rent, unde etiam *apparens* & inæqualis vocatur. *Iste* ve-
rò est, quem Astronomi docendi causâ inter *velocissi-*
mum & *tardissimum* medium & æqualem assumunt. *Hic*
denique à parallaxi dependet. Ac in descriptione qui-
dem motus veri videmus, non verum, & non apparens ean-
dem motus speciem significare. *Hic* vero circa doctri-
nam *conjunctionum* insigne est horum vocabulorum
discri-

discrimen, ut apparentis & veri nova distinctaque significatio nascatur. Cum enim linea recta ex oculo ter- ricolæ videntis per stellam in Zodiacum producta non tantum à linea medii, sed & veri motus differat, locumque visum alium à medio ac vero ostendat, adeoque spe- ciali nomine linea loci visi nuncupetur; necesse est con- junctionem etiam aliam esse medium, aliam veram ali- am apparentem seu visam. Est autem *Media Con- junctio*, quæ fit secundum lineas medii motus concur- rentes in Zodiaco; *Vera* est, quæ fit secundum lineas veri motus; Denique *Apparens sive visa* est, quæ fit se- cundum concursum linearum loci visi stellarum in Zo- diaco. Etsi verò accidere possit, ut omnia hæc Conjun- ctionum genera coincidant, tamen id rarius est. Plerum- que enim una post alteram contingere solet, propter pa- rallaxin, diversumque motum linearum motus medii atque veri. Cum enim lineæ motus medii interdum li- neas verorum motuum antecedant, alias eas consequun- tur, nonnunquam etiam coincidant; par ratio Conjun- ctionis est, ut nunc media præcedat veram, nunc vera medium, aliquando media simul sit ac vera, eo scilicet tempore, quo utriusque stellæ locus medius & verus non differunt. Hinc non potest non diversa Autorum sen- tentia in supputando Conjunctionum tempore suboriri, cum alii ad veram, alii ad medium Conjunctionem re- spiciant.

§. 9. Inter cæteras divisiones illa superiorum Plane- tarum Conjunctionem eminet, quæ *Magna, Major & Maxima* habetur, cui Astrologi tantum fidunt, quantum Hercu- les ne quidem suæ clavæ, tantos effectus illis Conjunctionum generibus adjudicantes, ut nihil supra. Ab his ef-

fectibus verò abstrahit prudēns Astronomus, & nudum tantūm stellarum Planetarumve possum dispicit. Quod ut nos faciamus felicius faciliusque, prænotamus, quod apud Astrologos antiquissimos ante Albumasarem Arabem, alias Japhar dictum, qui vixit circa A.C. 1160. utut alii antiquorem dicant, & Alcabitium, Zodiaci signa cum multipliciter distincta fuerint, tum in IV. triplicitates, sive trigonos divisa juxta IV. Elementorum qualitates, quorum

1. Igneus terminatur suis angulis ad signa ignea calida & sicca V, Σ, ♈,

2. Terreus ad terrea, frigida & sicca ♈, ♉, ♊,

3. Aëreus ad aërea, calida & humida, ♋, ☽, ☾,

4. Aqueus ad aqua, frigida & humida ☽, ♌, ☿.

§. 10. Cujus denominationis causa non est ex rerum natura, sed ex mero impositionis hominum arbitrio. Cum enim genus humanum à prima statim origine agnovisset & pro confesso usurpasset tempestates annuas ex cœlo variari, in hisce verò has quatuor qualitates certi, calidum, frigidum, humidum, siccum, quæ etiam in totidem elementis, quæ nostris obversantur sensibus, dominantur; eas in cœlum sustulerunt, intraque signa Zodiaci distribuerunt ea lege, ut maneant qualitatum nomina, quantumvis discendentibus fixis, seu imaginibus constellationum. Hosce trigonos ita perambulant Conjunctiones, ut non modò non in eodem signo, sed etiam ne in trigono quidem uno eodemque perseverent, e. c. Si h̄ atque Ζ congregantur in principio arietis, seu triplicitatis igneæ, post annos 20 fere continget, ut denuò coēant, sed longè ab initio arietis, motu *eis t'æconysuea*, seu retro, per trientem circiter Zodaici, seu per gradus fere

fere 120, atque adeò in principio ♈ signi ignei, & tertia Conjunction post alios 20. annos fere iterum C. S. S. Zodiaci succedit in principio ♉ signi pariter ignei. Cùm proinde per trientem ferè circuli distent loca proximorum harum Conjunctionum inter se, fit ut annis 60. trium Conjunctionum loca forment triangulum fermè æquilaterum Zodiaco circulo, qui constat 360° inscriptum, & respiciant se aspectu quasi trino seu trigono.

§. II. Cum vera harum Conjunctionum loca non exactè tertia parte circuli distent, sed aliquantò & tribus ferè gradibus minùs seu gradibus 117. *et sic rā πεονγάσσα* (nam si prima prædictarum Conjunctionum accidat in $\overset{\circ}{1} \overset{\circ}{\text{V}}$, secunda non fiet in $\overset{\circ}{1}$ sed $\overset{\circ}{4} \overset{\circ}{\text{A}}$, & tertia non in $\overset{\circ}{1}$ vel $\overset{\circ}{4}$, sed $\overset{\circ}{7} \overset{\circ}{\Omega}$, quarta non in $\overset{\circ}{1}, \overset{\circ}{4}, \overset{\circ}{7}$, sed $\overset{\circ}{10} \overset{\circ}{\text{V}}$ & sic porro) necesse est, ut sexagesimo quoquo anno Conjunction superet locum initialem gradibus circiter 9, & annis 180 gradibus 27, donec annis circiter 200, quibus fiunt conjunctiones 10, cuspides triangulorum absolutis signis unius triplicitatis transeant ad signa alterius classis, ita ut, si prima fuit ignea, secunda sit terrea, & in hoc trigono moretur secunda Conjunctionum decas totidem annis. Denique elapsis annis 800 absolutæ singulæ triplicitates erunt, & revertetur Conjunction ad trigonum igneum. Nam IV. triplicitates, quibus omnis continetur Zodiacus, in ducentos annos ductæ, periodum producunt annorum 800, qua rotunditate numeri gaudent Artifices, propter facilitatem calculi, non nescientes, quòd intervalla conjunctionum *καὶ ἀνειρίσαν* paulò minora sint.

§. 12. Quibus ad hunc modum explicatis *magnam Conjunctionem esse* dicimus, qua duo supremi planetæ
Satur-

Saturnus & Jupiter, in signo ejusdem triongi, in quo proximè præcedens contigerat, copulantur. *Majorem* appellamus, quando iidem Pianetæ in signo quidem triplicitatis ab antecedente diversæ, sed qualitatis tamen non per omnia contrariæ, concurrunt. *Maximam* denique eam statuimus, quando vel absolutis, vel præsuppositis saltem cæteris, in trigono igneo denuò aut absolute primum conveniunt. Hæc est nostra de Conjunctionibus sententia. Quam & veriorem esse arbitramur, & accuratè distinctam. Non ignari, quòd ab aliis aliter proponatur doctrina nobilissima. Quos ut abundare suo sensu permittimus, ita nobis vicissim æquiores illos fore speramus. Id ad extremum observantes, quod ampliori vocis usu Magnæ Conjunctiones dici soleant, quæcunq; fuerint ex tribus istis generibus, de quibus modo exposuimus, *καὶ ἐχοχὴν* autem Magna est, quam Maximam nominavimus.

Lib. VII. §. 13. Quod si vero nunc quæras cùm Ricciolo: *Mediæ sect. V.* c ne an Veræ Conjunctiones sint considerandæ, cum de *Magnis IX.* num. aut *Maximis Conjunctionibus* agitur; omnino arbitrarer attendendum esse ad veras Conjunctiones, si quis Astrologico Judicio rem æstimare gestiat: *Sin minus*, cum verorum motuum calculus in hoc quidem negotio *laboriosus* magis sit, quam *utilis*, mediis motibus contenti vivamus cum Astronomis, ut faciliori primum supputatione eminus subodoremur verarum Conjunctionum tempora. Quamvis quoad Astrologicum usum etiam, si præcedunt veris, inchoent per applicationem quandam ipsarum influxum; si vero succedunt veris, per defluxum quendam retinent aliquid de impressione jam facta.

Tantum de Toto.

Astron 558, 40